

10. DISMISSAL OF A RELIGIOUS PRESBYTER FOR
VIOLATIONS AGAINST THE VOW OF OBEDIENCE¹

a) Definitive Sentence of the College, 23 January 1988*

* Prot. no. 15721/83 CA. Published in *DE* 102 (1991/II) 157-162.

416 FACTISPECIES

1. Rev. A.B., anno 1945 vota perpetua in Societate X. emittebat, atque, mense ianuario anni 1947, a Superioribus in Nationem K. mittebatur. In qua natione—quibusdam exceptis temporis intervallis—variis officiis functus est, inter quae officium Superioris Provincialis suae Congregationis.

Immo, anno 1975, P. A.B. erigebat Institutum quoddam cui nomen Y. Quod inceptum Supremus Instituti Moderator laudavit, licet necessarium censeret tale opus dependere debere ab auctoritate episcopali territoriali, sive quoad adspectum doctrinalem sive quoad adspectum oeconomicum.

Exortis, vero, nonnullis difficultatibus sive circa cooperationem cum Superioribus Societatis X., sive circa defectum assumptionis responsabilitatis ex parte Conferentiae Episcoporum K. (quae, autem, per Archiepiscopum B. ad Instituti Supremum Moderatorem scripserat: «*The K. Hierarchy believes that his work is important and approves Y.*»: Litt. diei 9-5-1979), Supremus Instituti Moderator, die 7 novembris 1977, iussit (translationem P. A.B. ad Provinciam F.).

2. Instante, autem, Exc.mo Substituto Secretariae Status, novus Superior Generalis, die 9 decembris 1977, permisit ut P. A.B. permanere posset in Natione K. per spatium alterius anni, dummodo opus inceptum (Y.) poneretur sub patrocínio Conferentiae Episcopalis K. vel saltem unius Episcopi dioecesiani illius regionis. Tandem, Archiepiscopus B. Praeses Conferentiae Episcoporum pro re sociali, patrocínio Instituti Y. suscipiebat. Tunc mens Superioris Generalis erat ut P. A.B. rediret ad F. utque dein, ad instantiam Archiepiscopi B. et debita relatione cum propriis Superioribus servata, redire posset in Natione K. Enimvero P. A.B. suam commorationem in K. protraxit.

Exeunte, vero, anno 1979, Exc.mus Secretarius Synodi Episcoporum, recurrenti committebat peculiare studium conficiendum quod, iuxta mentem P. A.B., non nisi in K. perfici poterat. Ad commorationem in K. protrahendam, P. A.B. interventum Summi Pontificis invocavit. Tunc Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, die 27 martii 1980, Superiori Generali Societatis ita scripsit: «L'ordine di lasciare K. sia differito fino alla pubblicazione del

libro sui problemi della ... e cioè fino al prossimo mese di settembre. Dopo questa data il P. A.B. dovrà uniformarsi alle decisioni prese da codesto Istituto e di comune intesa con l'Ecc.mo Arcivescovo di B.». Archiepiscopus B. probavit dilationem executionis praecepti a Supremo Instituto Moderatore lati. Mense autem augusto 1980, P. A.B. iterum interventum praedicti Dicasterii postulavit, sed frustra.

417 3. Die 28 octobris 1980, Supremus Moderator praecipiebat ut P. A.B., *vi voti oboedientiae*, intra duos dies, seu die 31 eiusdem mensis, ad L. rediret, comminata, secus, die 15 novembris 1980, ipsius dimissione ab Instituto. Procedura dimissionis suspendebatur ob alterum interventum altioris auctoritatis.

Demum Superior Provincialis, diebus 30 iulii et 25 augusti 1982, ad duplicem monitionem canonicam procedebat et Superior Generalis, cum suo Consilio, die 14 octobris 1982, dimissionem religiosi ab Instituto decrevit, quam Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, die 19 februarii 1983, rite ratam habuit et confirmavit.

4. Notificatione dimissionis decreti accepta, P. A.B. plures recursus ad praedictam Congregationem mittebat, asserens latam decisionem invalidam esse ob defectum processus vere iudicialis a se antea pluries petiti et a Constitutionibus Instituto expresse requisiti. Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, die 29 aprilis 1983, exhibitum recursum reiciebat, declarans, processum iudicalem, de quo in can. 654 CIC 1917, abrogatum fuisse decreto diei 2 martii 1974 (Litt. diei 30 aprilis 1983); ideoque decisionem dimissionis firmam manere debere.

Tunc, P. A.B., diebus 22 et 25 septembris 1983, latam decisionem impugnavit coram Sectione Altera Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis et quidem praesertim ex sequentibus rationibus: nempe, ob defectum processus vere iudicialis, neglecta omnino norma numeri 221 Constitutionum Societatis X.; ob defectum delicti a se patrati.

5. Signatura autem Apostolica, die 14 aprilis 1984, decrevit recursum considerari non posse, quatenus elapso termino peremptorio exhibitum. Instante autem P. A.B., Secretarius Status, nomine Summi Pontificis, die 28 iunii

1985, concessit: « restitutionem in terminis ad recurrendum ».

In Congressu habito coram Em.mo Cardinali Praefecto huius Supremi Tribunalis, die 13 iunii 1986, examini subiecto recursu a Rev. P. A.B., die 25 septembris 1983 interposito adversus decisionem competentis Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 19 februarii 1983 (prot. n. 2106/74), decretum est: « Recursum admittendum esse ad disceptationem ».

Die vero 11 octobris 1986, coram Exc.mo Secretario Huius Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae concordatum est dubium hac sub formula: « *An constet de violatione legis vel in procedendo vel in decernendo relate ad actum Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 19 februarii 1983, prot. n. 2106/74* ».

Quapropter, hodie, nobis concordato dubio respondendum est.

419 IN IURE

6. Impugnata decisio in casu lata et approbata est ante absolutam vacationem legis pro novo Codice Iuris Canonici statutam. Ideo applicanda sunt praescripta

legis tunc vigentis (nempe Codicis a. 1917) quoad dimissionem sodalis a votis perpetuis in religione clericali exempta, necnon praescripta subsequentis Decreti « *Processus iudicialis* » a Congregatione pro Religiosis et Institutis Saecularibus, die 2 martii 1974, lati (cf. AAS 66 [1974] 213-215).

7. In dimittendo religioso qui vota perpetua, sollemnia vel simplicia, in religione clericali exempta emisit, iuxta can. 654 Codicis Iuris Canonici anni 1917, requirebatur processus iudicialis. E contra, in congregationibus clericalibus non exemptis, ut professus a votis perpetuis dimitti posset, talis processus non requirebatur; satis erat ut praecederent tria delicta cum duplici monitione ac defectus emendationis ad normam cann. 656-662 (can. 649).

8. Supervenit, autem, Decretum diei 2 martii 1974 Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus, vi cuius statutum est ad decernendam dimissionem sodalis a votis perpetuis etiam in Instituto clericali exempto iuris pontificii non amplius requiri

2. CLD 8:453-455.

processum iudiciale, sed sufficere processum administrativum.

Tamen praecessissent, oportebat, tria gravia delicta externa ex parte sodalis dimittendi: quibus exstantibus, ex parte Superioris maioris duplex monitio canonica facienda erat; ex parte sodalis manere debebat incorrigibilitas seu defectus emendationis, ad normam can. 662. Qua stante, praevia transmissione actorum et documentorum ab immediato Superiore maiore ad Supremum Instituti Moderatorem (can. 663), ex parte istius cum suo Consilio deliberatio fiebat dimissionis. Quod decretum confirmatione indigebat ex parte competentis Dicasterii Romanae Curiae (can. 650 § 2).

Ex actis autem constare debebat sodali dimittendo concessum fuisse ius «suas rationes exponendi»; ad hunc finem responsiones in actis fideliter referendae erant (can. 650 § 3).

Praeterea, ut monitiones factae ad dimissionem decernendam vim haberent corrigendi et ut incorrigibilitas dein demonstrari posset, evidenter requirebatur ut legis violationes bene indicarentur. Item requirebatur ut in decreto

dimissionis adessent rationes seu motiva quae dicuntur, tam in facto quam in iure, quibus pars dispositiva decreti innititur. Hoc requirebatur in Codice a. 1917, in quacumque sententia (cfr. CIC, can. 1873 § 1). Et cum decretum dimissionis vim sententiae habeat, evidenter, vigente vetere CIC, huiusmodi praescriptio respiciebat etiam decretum dimissionis sodalis, qui vota perpetua nuncupaverat in religione clericali exempta (can. 656).

9. Quae legislatoris praescriptio vigere perrexit etiam postquam Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus, decreto die 2 martii 1974, processum administrativum processui iudiciali substituerat. Ideo, prae oculis habita hac legislatione, decretum dimissionis continere debet motiva, tam in facto quam in iure, saltem breviter seu summario modo indicata (cfr. in similibus responsionem Pontificiae Commissionis Codici Iuris Canonici authentice interpretando diei 14 februarii 1974, quae ad dubium motum circa articulos VIII, § 3 et IX § 1 mt. pr. *Causas matrimoniales*, respondit: «Negative ad primam partem, Affirmative ad secundam, seu, attentis principiis generalibus processus canonici ..., rationes sive

in iure sive in facto esse in eiusdem decreto saltem breviter seu summario modo indicandas » (AAS 66 [1974] 463).

Haec, enim, necessitas motiva in iure et in facto exprimendi oritur ex ipsa natura decisionis administrativa e: cum decisio administrativa impugnationi subiaceat, sive hierarchicae sive etiam iurisdictionali, si ipsa, in casu particulari, relativa motivatione careat, subiectum passivum illam congruis argumentationibus impugnare non valeret.

10. In religiosis dimittendis, praeterquam ius commune, etiam ius proprium Instituti sequendum est. Constitutiones, vera, Societatis X., quae, expleta partiali recognitione—ad mentem mp. ES II,6—a Capitulo Generali peracta, exeunte anno 1977, a Supremo Moderatore promulgatae sunt, in « Appendice » sub numero V° (« Dismissal from the Society »), reimprimebant disciplinam a CIC 1917 praescriptam, qualibet mentione Decreti Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 2 martii 1974 omissa.

3. For the whole text, see *CLD* 8:1109.

4. 6 August 1966. AAS 58 (1966) 757-787; *CLD* 6:264-298.

11. Inter delicta, in qua incurrere potest religiosus, est etiam repulsio debitae oboedientiae, in qua incorrigibilis maneat. Votum, enim, oboedientiae, est praeceptum inter vota essentialia status religiosi. Obiectum voti oboedientiae constituunt Superiorum religiosorum praecepta, quae vi voti dantur. Voluntas constare potest ex Constitutionibus vel etiam ex clausula praecepto adiecta. Religiosus, in emittenda professione, promittit—absque ulla reservatione—Superioribus Instituti oboedire iuxta Constitutiones, sive quoad sedem, sive quoad munera adimplenda. Etsi tam necessaria sit oboedientia hierarchica, *caeca esse* tamen, non debet et contineri debet intra limites servitii hierarchici: « Superiores id solum imperare possunt quod regulae est conforme (regulae sensu proprio ac probatae Consitutiones) sive considerata in suis verbis, sive quoad res necessarias ad bene eam observandam » (cf. Goffi, *Oboedientia religiosa*, in *Dictionarium morale et canonicum*, III (ed. 1966), 414, n. 3).

12. Votum oboedientiae ad essentialia vitae religiosae pertinet (cfr. LG 42; PC 14). At verificari

potest quod in casu peculiari auctoritas Superioris praecipientis et conscientia sodalis inter se confligant. De hac quaestione ita scribit Paulus VI in Adhortatione Apostolica « Evangelica testificatio » (28): « Oportet hoc repetamus: conscientia non est una et sola arbitra qualitatis moralis actionum, quas suggerit, sed ad normas obiectivas debet referri, et, si necesse sit, corrigi recteque dirigi. Praeterquam cum aliquid iniungitur, quod legibus divinis vel Constitutionibus Instituti *manifesto* adversatur, aut quod malum grave et certum secumfert—tunc enim oboediendi obligatio deest—superioris deliberationes provinciam respiciunt, in qua aestimatio boni maioris secundum modum rem considerandi potest variari. Si autem colligitur, eo quod iussum ex veritate minus bonum appareat, id non esse legitimum et conscientiae contrarium, hoc idem foret ac non intellegere—modo quidem quo e re minus recte iudicatur—non pauca humana esse obscura atque in utramque partem valere. Praeterea oboedientiae recusatio crebro damnum grave infert ipsi bono communi. Ne facile igitur religiosus affirmet iudicium suae conscientiae a superioris sententia discrepare. Talis ceteroquin casus singularis nonnumquam verum animi dolorem commovebit secundum

ipsius Christi exemplum, *qui didicit ex iis quae passus est oboedientiam* » (29-VI-1971: AAS 63 [1971] 497-526).

13. Ad *causas graves exteriores* quod attinet, in simili casu, Signatura edixit: « Circa causae gravitatem Nostro Supremo Tribunali non plurimum discretionis tribuitur, cum ipsius iudicium legitimis Superioribus spectet, quibus sit onus vitae religiosae regendae. Attamen Nostri quoque Tribunalis est videre utrum adductae causae sint, omnibus consideratis, graves et dimissioni statutae, quae est gravissima sanctio, revera pares: id enim praescribit lex; in ambitu, igitur, sumus legitimitatis. Legitimorum pariter Superiorum est statuere quaenam sint corrigendae religiosae magis idonea media: ipsi enim pervigilare debent, suorum subditorum animae quasi rationem, reddituri. Suggestere igitur quaenam esse debeant huiusmodi, media, dummodo tamen sit satis habendae emendationi provisum, non pertinet ad Nostrium sacrum Tribunal » (Sent.

422

5. CLD 7:425-449.

diei 15 decembris 1979, prot. n. 8984/77 CA.: CpR 61 [1980] 183-189).

IN FACTO

14. Latum atque confirmatum propriae dimissionis decretum a recurrente impugnatur ob assertam illegitimitatem sive *in procedendo*, quatenus, in casu, observata non est ratio procedendi in Constitutionibus propriae Congregationis praescripta, sive etiam *in decernendo*, quatenus ipse, revocans art. 221 Constitutionum ipsius Congregationis, putabat se, in casu, oboedientia non teneri.

423 A) DE ASSERTA ILLEGITIMITATE IN PROCEDENDO

15. Recurrens sub hoc aspectu impugnat latam et confirmatam dimissionem ob plurimas assertas legis violationes in procedendo, praesertim autem ob defectum processus iudicialis, qui conficiendus erat iuxta normas constitutionum propriae Congregationis a. 1968 editas et a. 1977, in appendice V°, de qua in libro «Constitutions and Directory of X. ».

Ex actis enim positive constat P. A.B., recurrentem, competentibus Superioribus, saltem septies decies, expresse petiisse ut suam comminatam dimissionem, iuxta Constitutionum praescripta, processu iudiciali definirent. Ipse, enim, existimans ius proprium Societatis X. vim obligatoriam habere ex eo quod novae Constitutiones promulgatae sunt elapsis tribus annis a promulgatione praedicti decreti generalis diei 2 martii 1974, iterum atque iterum institit ut quaestio coram Tribunale collegiali deferretur. Die enim 26 octobris 1982, praehabito colloquio cum Exc.mo Nuntio Apostolico in K., ita scripsit Superiori Prov. D. se velle iudicari per processum iudicalem: «He advised me that I ask a juridical process which is required by Canon Law. In that process I have a right to defend myself, with an advisor. Until now I had taken it for granted that this process would be followed, especially also because Fr. Superior General had written to me before that he will follow the procedure of Canon Law.... I will consider that I did not have sufficient information. If I have a right by reason of Canon Law for a juridical process in which I can defend myself with the help of an advisor: and if you now by-pass this clear prescription of the law,

and dismiss me against the clear prescriptions of Canon Law without giving me the information that is possible, then you did not give me sufficient information. The Pro Nuncio advised me to write to you about this ».

16. Diebus 10, 14, 19 martii 1983, recurrens, accepta notificatione confirmationis dimissionis Decreti, scribit ad Congregationem pro Religiosis et Institutis Saecularibus se esse dimissum modo contrario Constitutionibus suae religionis: «How can I be dismissed in a manner which contradicts our Constitutions ».

Tantummodo die 29 aprilis 1983 praedictum Dicasterium recurrenti respondit proceduram invocata non amplius vigere: «The juridical procedure required by cans. 654-668 for the dismissal of religious of solemn vows or simple perpetual vows in an exempt clerical Institute was legally abrogated by Decree of this Sacred Congregation dated March 2, 1974. This Decree states also for the dismissal of the religious mentioned in can. 654 the procedure laid down in cans. 649-653 is to be followed ».

17. Haec autem serotina explicatio P. A.B., recurrentem, non satisfacit, quia in ea agitur de

abrogatione praecedentis rationis procedendi in dimissione religiosorum servanda, sed nihil a Dicasterio declaratur circa valorem iuridicum Constitutionum Societatis X., quae promulgatae fuerant mense septembri 1977, i.e. tribus annis elapsis a Decreto «*Processus iudicialis*» diei 2 martii 1974.

In priore suo recursu Huic Supremo Signaturae Apostolicae Tribunali exhibito, P. A.B. declarat: «I asked Fr. Provincial explicitly to please inform me if this is a way of dismissing me without this process. He did not answer. So I had surely expected a juridical process as outlined in our Constitutions before I could be dismissed ».

18. Rev.mus Publicae Administrationis Patronus, ita reimpressionem normarum Constitutionum circa proceduram in dimissione sodalium servandam explicare conatur: «Anno 1977 publici iuris facta est quaedam 'nova' et provisoria editio Constitutionum et Directorii Societatis X. Ea, uti ex proemio constat, opportuna visa est propter earundem partis III et IV recognitionem in Capitulo generali paulo ante peractam. In Appendice quaedam normae canonicae, etiam de dimissione, simpliciter ex pristina editione, anni scilicet 1968, reassumuntur. Quo fit ut ex inadvertentia, normae circa

dimissionem decreto Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus, anni 1974, nondum erant aptatae. Quid censendum de valore harum normarum?

Appendix 'Canonical Supplement of the Constitutions', uti titulus iam insinuat, sub V^o, 'Dismissal from the Society' in omnibus refert rationem procedendi CIC 1917, si excipiat, ad normam can. 669 §1 CIC 1917, solutio a vinculis a votis promanantibus.

Hac de re—prosequitur praedictus Patronus—quidquid est, Manuale pro Superioribus Societatis X. anno 1981 editum (*Handbook for Superiors*, Rome 1981, p. 71), sine ullo dubio decretum Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus anni 1974 etiam in Societate X. vigere edicit!

Et recte quidem, nam iurisprudencia constans huius Supremi Tribunalis vim praeceptivam illius decreti Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus agnoscit» (Mem. 9-10).

Haec autem explicatio ex actis causae non apparet: numquam, enim, Superiores declara-

runt reimpressionem Appendicis ex inadvertentia peractam fuisse; nullibi constat «*Handbook for Superiors*» apud omnes Societatis X. sodales, recurrente non excluso, divulgatum fuisse.

19. Quidquid est, indubium est in casu haberi, saltem, dubium iuris, quod recurrens in sui favorem vertere curavit, dum e contra Superiores recurrentis ignorare magis commodum inveniunt sicut et ipsa Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus.

Neglectis firmis iteratisque petitionibus a recurrente exhibitis, in decernenda eius impugnata dimissione, adhibita est procedura administrativa, praetermissa quolibet responsione ex parte Superiorum, apta ac idonea ad omne dubium fugandum vel solvendum. Tantummodo, enim, 40 diebus a confirmatione impugnati decreti elapsis, Exc.mus Secretarius Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus, die 29 aprilis 1983, rescripsit P. A.B., recurrenti, indicans abrogationem normarum veteris Codicis per decretum diei 2 martii 1974.

Concedimus recurrentem occasionem forsitan sumpsisse ex confusione creata per reimpressionem Constitutionum a. 1977 una cum pernota Appendice ut rem verteret in proprium commodum, quia processus erat instrumentum aptius ad propria iura efficacius tuenda. Sed, ex altera parte, denegari non potest quod reimpressio et publicatio normarum de procedura iudiciali a Capitulo vel a Consilio Generali Societatis X., anno 1977 peracta, praeterquam *conflictum* inter praescripta in duobus documentis (decr. «*Processus iudicialis*» et *Appendix: «Dismissal from the Society»*) subsequenter persuasionem in mente recurrentis ingenere potuisse, quod in suo Instituto adhuc vigeret procedura iudicialis, etsi non absolute, saltem alternative et optative cum illa administrativa.

Ex facto huius reimpressionis, attenta declaratione M. P. *Ecclesiae Sanctae* («*Experimenta contra ius commune ... pro opportunitate a Sancta Sede permittuntur*»), quisquis prudenter cogitare potuisset Congregationem pro Religiosis et Institutis Saecularibus dispensationem ab obligatione processus administrativi

conficiendi Societati X. concessisse; propterea praecedentem proceduram sequi, ad experimentum, potuisse.

20. Mirari nobis igitur non licet si recurrens, corroboratus sententia viri in iure periti, seu Exc.mi M. Pro-Nuntii Apostolici in K., hac persuasionem nisus; instantanter petivit ut processus iudicialis conficeretur, in casu. Superiorum vero erat exortum dubium solvere vel per se, si poterant, vel per competentem Congregationem.

Non est dubium quin processus iudicialis, obiective et in ordine theorico, abrogatus fuisset, quatenus decretum generale *Processus iudicialis* diei 2 martii 1974, substituendo processum administrativum processui iudiciali, continebat clausulam revocatoriam generalem *Contrariis quibuslibet minime obstantibus*; subiective autem et in ordine practico, i.e. in mente recurrentis existere potuit idea existentiae legis particularis quae processum iudicalem praescribebat ad dimissionem sodalis Instituti clericalis exempti decernendam, iuxta praescripta canonis 654.

Haec erronea persuasio unice et exclusive imputanda est Capitulo Generali, cuius opera,

anno 1977, reimpressa fuerat pars Constitutionum (ex textu a. 1968 approbato), quae respicit «Dismissal from the Society». Praeterea decretum diei 28 novembris 1982, a Supremo Moderatore Societatis X. subsignatum, quo impugnata dimissio statuta est, caret necessaria motivatione in iure: referuntur enim suffragatio ex parte Consilii provincialis (die 20 septembris 1982) atque subsequens suffragatio ex parte Consilii generalis (die 24 octobris 1982); omissa est autem, saltem breviter ac summario modo indicata, quaelibet motivatio in iure, i.e. allegatio normae iuridicae, in casu, applicatae vel applicandae.

Eadem omissio invenitur in Decreto diei 19 februarii 1983, prot. n. 2106/74, quo Congregatio pro Religiosis et Institutis Saecularibus rescribit: «Dimissionem sacerdotis P. A.B. a Societate X. *legitime prolata*, ratam habet atque confirmat».

21. Res ita cum sint, omnibusque in iure et in facto mature perpensis, nequit denegari impugnatum decretum diei 19 februarii 1983 n. 2106/74 praescriptas normas in dimissione Patris A.B. observandas violavisse.

B) DE ASSERTA ILLEGITIMITATE IN DECERNENDO

126

22. Recurrens impugnat latam sui dimissionem etiam *in decernendo*, ob defectum congruae causae motivae. Peculiariter prout eiusdem Patronus scribit: «deest probatio trium delictorum a patre A.B. patratorum, sive contra ius commune sive contra ius speciale recurrentis.... Deest in processu quaestionis probatio patrem A.B. potuisse suas rationes libere exponere easque in actis relatas fuisse» (Memor. p. 8).

Remanet, tamen, quaestio de inoboedientia. Pater A.B., cum praeceptum derelinquendi K. recepisset, declaravit se in conscientia K. relinquere nequire, ad Directorium in n. 212,2 appellando: Praeceptum illud, vi voti oboedientiae redeundi ad patriam omnino conforme videtur de se, tam normis iuris universalis (cf. cann. 487 et 593 CIC 1917) quam iuris proprii (Const. Societatis X. a. 1977, 218-219).

Adesset igitur de se, in casu, permanens grave delictum contra votum oboedientiae, quod ex

repetitis monitionibus virtualiter triplex evasisset.

23. Religiosus, qui legitime quoddam officium ecclesiasticum exercet, semper est amovibilis «ad nutum superioris», quatenus eius amotio vel translatio decerni potest absque specifica causa canonica et etiam non servata forma determinata. Semper, autem, requiritur iusta et proportionata causa, quia cavendum est ne ex amotione vel translatione bonum nomen sodalis in discrimen vocetur; secus haberetur amovibilitas non «ad nutum», sed «ad arbitrium» superioris.

P. A.B. fuit institutor et erat director Instituti Y., opera maximi momenti in tota Natione K., et, huius causa, relationes habebat cum Hierarchia ecclesiastica, cum Auctoritatibus civilibus et academicis, necnon cum familiis et singulis civibus. Eius, proinde, translatio e K. in Provincia F., quamvis ad nutum, decerni debuisset ex iusta et proportionata causa, ne bonum nomen religiosi in discrimen vocari posset, atque opus «Y.» vita periclitaretur. Nec obliviscendum erat Patrem A.B., semper strenue doctrinam Romanorum Pontificum cum illa Associatione defendisse et eiusdem actionem nonnullis

etiam in auctoritate constitutis non placere. Ideo, etiam ad vitandas malevolas interpretationes circa Superiorum decisiones relate ad doctrinam a P. A.B. defensam, maxima prudentia adhibenda fuisset et congruum temporis spatium concedendum fuisset ante translationis praecepti executionem. Hae, autem, prudentiae normae neglectae fuerunt in casu: Superiores, enim, Societatis X., prima vice, die 28 octobris 1980, vi voti oboedientiae, praeceperunt Patri A.B. ut intra spatium duorum dierum (die 31 octobris) in Provincia F. rediret.

Quando, mensibus iulio et augusto 1982, alterum praeceptum cum dimissionis comminatione dederunt, nihil videtur provisum fuisse neque de praevia designatione alicuius sodalis, cui munus commissum fuisset recurrentem substituendi in directione «Instituti Y.»; neque de statuta suppressione «Instituti Y.» ac de relativa communicatione competentibus Auctoritatibus. Hic modus procedendi certo certius valde arduam reddidit oboedientiam Patris A.B., quia praeceptum immediatae

translationis eidem apparuit tanquam decretum mortis seu dissolutionis «Institutum Y.», cui ipse recurrens totam suam peritiam scientificam et totum zelum sacerdotalem strenue impenderat. Quae dissolutio secumferre recurrenti apparuit amissionem cuiuscumque existimationis apud Auctoritates ecclesiasticas et civiles, necnon apud familias sive christianas sive paganas Nationis K., una cum periculo gravis scandali in tota Natione, etc.

427

24. Quamvis non sit certo laude dignus modus agendi ex parte recurrentis, qui, praeceptum translationis exsequi omisit, tamen, omnibus perpensis et prae oculis habita aequitate naturali et canonica in similibus casibus, observanda, difficile est asserere in istis circumstantiis inoboedientiam tam gravem fuisse ut delictum constitueret. Prae oculis, enim, habendae sunt circumstantiae quae «augent, minuunt, tollunt dolum aut culpam et consequenter imputabilitatem peccati et delicti» (can. 2199 CIC a. 1917). Inter has circumstantias recensendi sunt plures intervenus Auctoritatum ecclesiasticarum, quae operam recurrentis opportunam in Natione K. considerabant. Hi, quoque, intervenus ingenerare potuerunt in mente recurrentis, se non posse, in conscientia et coram Deo, exse-

qui acceptum translationis praeceptum. Sicut dubitari licet in casu de vero et proprio delicto, item dicendum, est de causis ad provisionem capiendam ex parte Superiorum. Ideo, affirmare non possumus, in casu, adfuisse causam gravem et proportionatam ad dimissionem decernendam, quae est gravissima sanctio.

25. Quae omnibus, tum in iure tum in facto, mature perpensis, Collegium Em.morum Patrum Cardinalium pro tribunali sedens ac solum Deum prae oculis habens, Christi nomine invocato, circa dubium concordatum respondendum censuit uti respondet:

Ad Ium: Affirmative, seu constare de illegitimitate in procedendo relate ad actum Congregationis pro Religiosis et Institutis Saecularibus diei 19 februarii 1983, prot. n. 2106/74.

Ad Iium: Affirmative, seu constare de illegitimitate etiam in decernendo relate ad ipsum actum de quo supra.

Datum Romae, e sede Supremi Signaturae Apostolicae Tribunalis, die 23 ianuarii 1988.

Aurelius Card. SABATTANI, Praef.
+ Bernardinus Card. GANTIN
Silvius Card. ODDI
Petrus Card. PALAZZINI, Ponens
Opilius Card. ROSSI
Marius Aloisius Card. CIAPPI
Aloisius Card. DADAGLIO
Rosalius Josephus Card.
CASTILLO LARA
Eduardus Card. GAGNON
Alphonsus M. Card. STICKLER
Notificetur.

Datum Romae, e sede
Supremi Signaturae Apostolicae
Tribunalis, die 23 martii 1988.

+ Zenon GROCHOLEWSKI,
Secr.
Vincentius CÁRCEL ORTÍ,
Canc.